

ad laterum lationem, & ex sanguine perfusionem. Aliqui tamen exponunt istud contrario modo, q. scilicet seruus, quanuis pessimus, non sit vsq. ad sanguinis effusionē percutiendus. sed prima expositio melior iudicatur. tamen in tali flagellatione seruandum est modum, quatenus (sicut in Deuter. scriptū est) iuxta mensuram delicti sit plagarū modus. [Super mulierem nequā bonum est signum:] i. expedit, signaculum seu clausurā adhiberi prauæ vxori vagæ atq. lasciuæ, nē euagetur & liberē peccet. [Vbi manus multæ sunt,] i. multi parari ad diripiendum occultē, [claudē] Iea, quæ non vis tolli te ignorante. [& quodcunque trades,] id est, expofueris, [numera & appende:] vt scias quot sint, & quanti valoris aut ponderis: datum verò id est, quod dederis alijs, [et acceptum omne] ab alijs, [describere:] vel in memoria, aut in membranis propria manu, vel per alium, dummodò talia sint, quod non vis ea tradere obliuioni. De minimis tamen non oportet hoc fieri. [De disciplina insensati & fatui] caue, nē eorum sequaris mores aut traditiones, nec eos informare præsumas, qui capaces non sunt, sicut dictum est Prouerb. 23. In auribus insipientium nē loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Et Eccl. 32. Vbi non est auditus, non effundas sermonem. [et de senioribus qui iudicantur ab adolescentibus.] Hoc dupliciter potest exponi: Primò, vt caueamus doctrinam & mores senum ætate, non probitate neque prudentia: qui meritò ab adolescentioribus tempore, sed prudentia & maturitate senioribus, reguntur & gubernantur. Non enim ætas iuuenilis despicienda est in doctore aut prædicante, quæ vitæ commendat atq. discretio. Vnde ad Timoth. scriptū Apostolus: Nemo adolescentiā tuam con- 1. Tim. 4. temnat. Secundò, vt cōfundamur de isto abusu, & cū pro viribus impediamus, q. scilicet iuniores psumunt iudicare seniores sapientia, ætate ac moribus. [et eruditus in omnibus] de necessarijs ad salutē, si feceris ista, [et probabilis in conspectu omnium virorum.] Filia patris abscondita est: i. cū pater filiam suam recluserit, nē euagādo rapiatur aut fornicetur. [vigilia & sollicitudo eius auferit somnū:] i. vigilia & cura quam parentes habebunt p custodia filiarū, impedit eos a somno propter magnitudinem periculi. Ideo subditur: [nē forte in adolescentia sua adultera efficiatur.] non contenta suo marito: [et cum viro commorata, odibilis fiat:] id est, a proprio odiatur marito propter suam lasciuiam, [nē quando polluat in virginitate sua.] si antequam tradita fuerit nupti, q. tam ante nuptiarū contractionem, quam postea, periculum est de ea. [et in paternis suis] i. in domo parentum, & adhuc posita sub custoditione eorum, [grauida inueniatur, iam deflorata,] nē forte cum viro suo commorata, [i. post initum connubium,] [transgrediat] torum legitimum, [aut certe sterilis efficiatur] ex frequēti concubitu, sicut in meretricibus accidit. [Super filiam luxoriosam,] vel ad vitium illud procliuē, [confirmā custodiam:] id est, eam diligenter custodi, [nē quando faciat te in opprobrium venire inimicis,] qui tibi insultarent atq. detraherent, imputantes lapsum filiarū tibi, & de tua aduersitate ac confusione gaudentes. [et detractione in ciuitate:] caue nē communis detrahat tibi ex filiarū tuarū ruina, ascribendo eam negligentia & imprudentia tuæ. [et abiectione plebis,] quæ te tanquā insipientē despiceret, & pserim filia adulterā aut fornicariam abijceret, tanq. lapidatione aut alia pœna dignam: [et confundat te] filia talis [in multitudine populi,] quia dedecus eius in parentes suos redundat, præsertim si circa eam blandi & negligentes fuerint. [Omni homini noli intendere in specie:] i. neminem ob eius pulchritudinem incautē conspicias, nē ad eum sensualiter afficiaris. [et in medio mulierū noli commorari:] i. inter mulieres extraneas, tamen cum vxore, filiabus & cognatis est habitandum. Periculosum verò est inter alias demorari & conuersari. Propter quod sacerdotibus, canonicis, & in sacris ordinibus constitutis prohibetur tercio decretalium cohabitatio mulierum, vetulis & cognatis exceptis. [De vestimentis enim procedit tinea:] i. ex vestium corruptione aliquantula generatur, sicut vermis ex ligno. [et a muliere iniquitas viri:] id est, ex mulierū adpectu, assatu, tactu, cohabitatione, viri ad concupiscentiam & ad vitia alia excitantur, prout suprà 9. cap. dictum est plenius. Hinc Prouerb. 6. in ducitur: Non concupiscat pulchritudinē mulieris cor tuum, nē capiaris nutibus illius. Mulier enim viri preciosam animam capit. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius nō ardeant? aut ambulare super prunas, vt nō cōburantur plantæ eius? [Melior est iniquitas viri, q. mulier benefaciens.] Certum est q. absolute & planè loquendo, mulier benefaciens seu laudabiliter viuens, melior sit in se q. iniquitas viri, seu vir iniquus. Sed aliquid dicitur melius aut pius alio dupliciter, Primò, directè & immediate. Secundò, occasionaliter: & hoc secundo modo iniquitas viri seu vir iniquus melior est, i. minus periculosus & nocēs, quā mulier bona: qm̄ minus allicit ad concupiscentiæ inflammationē vir iniquus aut eius iniquitas, quā mulier bona: quæ quanto melior atq. faciet, tanto